

ca v. Est, inquit, opinio decreturum aliquem Antonio illam ultimam Galliam, quam Piacens obtinet. Comata igitur omnis Transalpina, cæter Narbonensem; Togata vero Cisalpina, quam ab Italia amnes duo, Rubico a superno mari, Arnus ab infero dirimebant. Quod autem ait Plinius, ab Ancone Gallica ora incipit, Togata Gallia cognomine: in eo terminos jurisdictionis non spectavit; nam ita Anconem Italiae adjuvicasset: sed Gallorum veterum incolarum rationem habuit: quis autem Anconem cis Rubiconem esse nescit? Mela quoque Togatam nominat Galliam, et ait: Carni, et Veneti colunt togatam Galliam. Placet autem Dionis verba recitare ex libro XLVI. quæ Galliarum distinctionem ostendant, adjuncta nominis causa et Togatæ, et Comatæ.

Λεπίθω τὴν Ἰβηρίαν πᾶσαν, καὶ τὴν Γαλατίαν τὴν Ναρβωνησίαν. Ἀντανίω δὲ τὴν λοιπὴν Γαλατίαν τήντε ἐντὸς τῶν ἄλπεων, καὶ τὸν ὑπὲρ αὐτὰς ὄδον ἀρχεῖν δοθῆναι. Ἐκαλεῖτο δὲ ἐκεῖν μὲν Τόγατα, ὅτιτε εἰρημικότερα παρὰ τὰς ἄλλας ἐδόκε εἶναι, καὶ ὅτι καὶ τῇ ἐσθλιότητι Ῥωμαϊκῇ τῇ ἀσυκῇ ἐχρῶντο ἠδικαυτῇ καὶ δὴ Κόματα, ὅτι οἱ Γαλάται οἱ ταύτην ἐς κόμην τὸ πλεῖστον τὰς τριχὰς ἀνιέντες, ἐπίσημοι κατὰ τοῦτο παρὰ τοὺς ἄλλοις ἦσαν.

Brachata restat: hæc transalpina pars fuit, quæ postea Narbonensis nominata. Plinius libr. III. cap. 4. Narbonensis provincia appellatur pars Galliarum, quæ interno mari alluitur, Brachata ante dicta, amne Varro ab Italia discreta, alpiumque saluberrimis Romano imperio jugis; a reliqua vero Gallia latere septemtrionali, montibus Gebeona, et Jura. Et Mela libr. II. cap. III. Pars Gallia nostro mari apposita, fuit aliquando Brachata, nunc Narbonensis. Cicero etiam in oratione ad Pisonem, Brachata illum cognationis dedecus appellat, quod avus ejus maternus trans alpes natus erat. Et in oratione pro Fontejo, Sagatos, Brachatosque vocat Gallos, qui Fontejum accusabant: cum Narbonensi Gallia, quod ipsa declarat oratio, Fontejus præfuisset. Quod patet, licet ea Gallia pars nomen mutua verit, Narbonensis dicta, quæ Brachata fuerat, ipsas tamen brachas non esse depositas. Brachæ autem quasi tunica fuit omnis Gallia Transalpina, cum sagum imponebatur; Comata tamen potius, quam a brachis dicta, quæ capillatior fuit. Quod si quis roget, cur brachas tunicam fuisse Galliam putem, recitabo illud Suetonii, quod in C. Cæsaris vita scriptum est. Idem in curia Gallia brachas deposuerunt, latum clavum sumpserunt. Latus enim clavus tunica Senatorum Romæ fuit, quem Galli, brachis depositis, sumpserunt.

#### SERIES OPERIS.

- C. Julii Cæsaris de bello, a se in Gallia gesto, libri septem.  
 Belli a Cæsare in Gallia gesti continuatio: seu Commentariorum de Bello Gallico liber octavus, scriptore Hirtio.  
 C. Julii Cæsaris de bello, a se contra Pompejum, et ipsius legatos gesto libri tres.  
 De Bellis Alexandrino, Africano, et Hispaniensi libri singulares, quos Hirtio quidam, alii Oppio tribuunt: forte duos Hirtius, unum Oppius scripserit, aut contra.  
 Librorum Cæsaris, qui non extant, Fragmenta.  
 Accedit Index tum Rerum, tum Latinitatis.

# C. JULII CÆSARIS COMMENTARIORUM DE BELLO GALLICO LIBER PRIMUS.

## CAPUT I.

*Gallia divisio, Gallorum mores, et termini.*

Gallia est omnis divisa in partes tres: <sup>1</sup> quarum unam incolunt Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtæ, nostra Galli appellantur. Hi omnes lingua, institutis, legibus inter se differunt. <sup>2</sup> Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis <sup>3</sup> Matrona, et Sequana dividit. Horum omnium fortissimi sunt Belgæ: propterea quod a cultu, atque humanitate provinciæ longissime absunt, minimeque ad eos mercatores sæpe commeant, atque ea, quæ ad effeminandos animos

#### ADNOTATIONES.

COMMENTARIORUM.) Summo viro Gerard. Joann. Vossio, de Philologia, pag. 71. videtur Cæsar abusus commentariorum nomine, qui proprie sint similes picturæ inchoatæ, et materiam tantummodo historiæ delineent. Cæsar autem, ut Hirtius præmio, lib. VII. censet, non præbuit facultatem scriptoribus, sed præripuit. Adeo limati, et elegantes sunt illius Commentarii. Adde Cicer. de Clar. Orat. cap. 75.  
 I Gallia divisa in partes tres.) Gallia tum barbara, di-

stincta a provincia Romana, quæ Augusti nova, et quadripartita divisione pars prima est, Narbonensis appellata.

2 Gallos ab Aquitanis.) Gallos non universos, sed propriè dictos, sive Celtas, quos Augustus Lugdunensi parte conclusit. Vide mox sect. 5. et 6. hujus libris.

3 Matrona, et Sequana.) Flumina Gallia. Sidonius Panegyri. Majorani, vers. 208.

Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona, Sequana, Leuder.

pertinent, important. Proximi sunt Germanis, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt: qua de causa <sup>4</sup> Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt; quod fere quotidianis præliis cum Germanis contendunt, cum aut suis finibus eos prohibent, aut ipsi in eorum finibus bellum gerunt. Eorum una pars, quam Gallos obtinere dictum est, initium capit a flumine Rhodano; continetur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum; <sup>5</sup> attingit etiam a Sequanis, et Helvetiis flumen Rhenum: vergit ad Septemtriones. Belgæ ab extremis Galliæ finibus oriuntur; pertinent ad inferiorem partem fluminis Rheni; spectant in Septemtriones, et orientem solem. Aquitania a Garumna flumine ad Pyrenæos montes, et eam partem Oceani, quæ ad Hispaniam pertinet, spectat inter occasum solis, et Septemtrionis.

<sup>4</sup> *Helvetii reliquos Gallos.* ) Rhenum.) Sequani a Vesontione, Helvetii et ipsi Galli erant, quia quæ ipsorum urbs maxima fuit, intra Rhenum contenti: olim *infra* cap. 38. longo tractu ad Celticæ, ab Augusto Belgicæ Rhenum pertinuerunt, quorum adscripti. angusta forsitan ad amnem possessio a Tribocis fuit occupata.

<sup>5</sup> *Atingit a Sequanis flumen*

## CAPUT II.

*Helvetiorum motus, duce Orgetorige; apparatus bellicus.*

<sup>2</sup> Apud Helvetios longe nobilissimus, et ditissimus fuit Orgetorix. Is M. Messalla, et M. Pisone Coss. regni cupiditate inductus, conjurationem nobilitatis fecit, et <sup>6</sup> civitati persuasit, ut de finibus suis cum omnibus copiis exirent: perfacile esse, cum virtute omnibus præstarent, totius Galliæ imperio potiri. Id hoc facilius eis persuasit, quod undique loci natura Helvetii continentur; una ex parte, flumine Rheno latissimo, atque altissimo, qui agrum Helvetium a Germanis dividit; altera ex parte, mon-

<sup>6</sup> *Civitati persuasit.* ) Semel hoc loco unam constituunt civitatem: vide Scalig. in Euseb. notasse sufficit, *Civitatem* Cæsari non oppidum, sed populum, p. 147. et nationem esse, sicut Helvetii

te Jura altissimo, qui est inter Sequanos, et Helvetios; <sup>7</sup> tertia, lacu Lemano, et flumine Rhodano, qui provinciam nostram ab Helvetiis dividit. His rebus fiebat, ut et minus late vagarentur, et minus facile finitimis bellum inferre posset: qua de causa homines bellandi cupidi magno dolore afficiebantur. Pro multitudine autem hominum, et pro gloria belli, atque fortitudinis angustos se fines habere arbitrabantur, qui in longitudinem <sup>8</sup> millia passuum cxxl. in latitudinem clxxx. patebant. His rebus adducti, et auctoritate Orgetorigis permoti, constituerunt ea, quæ ad proficiscendum pertinerent, comparare, jumentorum, et carrorum quam maximum numerum coemere, sementes quam maximas facere, ut in itinere copia frumenti suppetere; cum proximis civitatibus pacem, et amicitiam confirmare. Ad eas res conficiendas biennium sibi satis esse duxerunt, in tertium annum profectionem <sup>9</sup> lege confirmant. Ad eas res conficiendas Orgetorix deligitur: is sibi legationem ad civitates suscepit. In eo itinere persuadet Castico, Catamantelendis filio, Sequano, cujus pater regnum in Sequanis multos annos obtinuerat, et a S. P. Q. R. <sup>10</sup> amicus appellatus erat, ut regnum in civitate sua occuparet, quod pater ante habuerat: itemque Dumno-rigi Æduo, fratri Divitiaci, qui eo tempore principatum in civitate sua obtinebat, ac maxime plebi acceptus erat, ut idem conaretur, persuadet: eique filiam suam in matrimonium dat. Perfacile factu esse illis probat, conata perficere: propterea quod ipse suæ civitatis imperium obtenturus esset, non esse du-

<sup>7</sup> *Lacu Lemano.* ) Qui ab urbe adjacente Geneva nunc nomen ducit.

<sup>8</sup> *Millia passuum cxxl. in latit. clxxx.* ) Nimius uterque numerus Cluverio in Germ. Antiq. lib. II. cap. IV. videtur, cui pro longitudine satis sunt clxxx. pro latitudine lxxx. circiter abjecto centenariis. Approbat Hadr. Valesius Notit. Gall. p. 243. Cæsaris autem, an librarii

error sit, incertum est. Metaphrastes vulgarem lectionem, milliariis in stadia conversis, secutus est.

<sup>9</sup> *Lege confirmant.* ) Pactio-ne, fœdere conjuratorum. *Herm.* <sup>10</sup> *Amicus appellatus est.* ) Magna regum dignitas, amicos ab senatu Rom. appellari. Vide infra cap. 21. sect. 43. et Civ. I. 4. sect. 2. adde Livium. xxxl., II.

bium, quia totius Galliae plurimum Helvetii possent; se suis copiis, suoque exercitu, illis regna conciliaturum, confirmat. Hac oratione adducti, inter se fidem, et iurandum dant, et regno occupato,<sup>11</sup> per tres potentissimos, ac firmissimos populos totius Galliae sese potiri posse sperant.

II Per tres potentissimos ipsos Helvetios. (populos.) Sequanos, Aduos, et

## CAPUT III.

*Dies dicta Orgetorigi, ejusdem mors, Helvetiorum projectio.*

**E**a res ut est Helvetiis per indicium enuntiata, moribus suis Orgetorigem ex vinculis causam dicere coegerunt. Damnatum poenam sequi oportebat,<sup>12</sup> ut igni cremaretur. Die constituta causae dictionis, Orgetorigis ad iudicium omnem suam familiam, ad hominum millia x. undique coegit, et omnes clientes, obsecratosque suos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit: per eos, ne causam diceret, se eripuit. Cum civitas, ob eam rem incitata, armis jus suum exequi conaretur, multitudinemque hominum ex agris magistratus cogere; Orgetorigis mortuus est, neque abest suspicio, ut Helvetii arbitrantur, quin ipse sibi mortem consciverit. Post ejus mortem<sup>13</sup> nihilominus Helvetii id, quod constituerant, facere conantur, ut e finibus suis exeant. Ubi jam se ad eam rem paratos esse arbitrati sunt, oppida sua omnia numero ad xii., vicos ad quadringentos, reliqua privata aedificia incendunt, frumentum omne, prae-ter quod secum portaturi erant, comburunt,<sup>14</sup> ut, domum

<sup>12</sup> Ut igni cremaretur.) Tamquam hostis reipublicae, aut proditor. Usitatum Gallis supplicium, vide extremo hoc libro, c. 24. sect. 43. Julius Celsus vita Cæs. p. 10. Orgetorige primam ducet: mox ubi ille adfectata tyrannidis suspectus in carcere diem obiit, &c.

<sup>13</sup> Nihilominus Helvetii id) Celsus ibidem; capto nihilominus insidentes, per se ipsos nullo ducet.

<sup>14</sup> Domum reditionis) hoc est, in domum, ad domum. Suprimitur praepositio, quia dicimus, redire domum, sine illa.

reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda essent: trium mensium<sup>15</sup> molita frumenta sibi quemque domo efferre jubent. Persuadent<sup>16</sup> Rauracis, et Tulingis, et Latobrigis finitimis, uti eodem usi consilio, oppidis suis, vicisque exustis, una cum iis proficiscantur: Bojesque, qui trans Rhenum incoluerant, et<sup>17</sup> in agrum Noricorum transierant,<sup>18</sup> Norejamque oppugnarent, receptos ad se socios sibi addiscunt. Erant omni-  
no itinera duo, quibus itineribus domo exire possent: unum per Sequanos angustum, et difficile, inter montem Juram, et flumen Rhodanum; quo vix singuli carri ducerentur; mons autem altissimus impendebat; ut facile perpauci prohibere possent: alteram per provinciam nostram, multo facilius, atque expeditius: propterea quod inter fines Helvetiorum, et<sup>19</sup> Allobrogum,<sup>20</sup> qui nuper populo Romano pacati erant, Rhodanus fluit, isque nonnullis locis vado transitur. Extremum oppidum Allobrogum est, proximumque Helvetiorum finibus Geneva: ex eo oppido pons ad Helvetios pertinet, Allobrogibus sese vel persuasurus, quod nondum bono animo in populum Rom. viderentur, existimabant, vel vi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur. Omnibus rebus ad perfectionem comparatis, diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant: is dies erat ad v. Kalend. April., L. Pisone, A. Gabinio Coss.

<sup>15</sup> Molita frumenta) Farinam, polentam, seu praeparata frumenta, ut facile inde cibus conficiatur. Vide F. Luisini Parerg. lib. I. cap. 10.

<sup>16</sup> Rauracis, Tulingis, Latobrigis) Exstant Augustae Rauracorum rudera in parvo vico August. prope Basileam, unde de situ Rauracorum judicatur. Latobrigas Cluverius in Valle-siae pago Erige quaerit. Tulingis, cis Rheum fuerint, an trans illum, ignoratur.

<sup>17</sup> In agrum Noricum) Qui ab Aeno ad Pannoniam inter Danubium, et Alpes est.

<sup>18</sup> Norejamque oppugnarent) Sic veteres libri, et Metaphrastes Νορῖαν. Peutingeriana Tabula in Norico Norejam habet: at Strabo IV. et Plinius III. 19. in Carinis id nominis urbem posuerunt. Vide Notit. Orbis Antiq. utroque loco.

<sup>19</sup> Allobrogum) Qui nunc Sabaudi, inter Lemanum lacum, et Rhodanum.

<sup>20</sup> Qui nuper pacati erant) C. Pontinio duce, qui praetor. Cicerone consule, fuerat, rebelles Allobroges in ordinem reducti, Cicer. de Provinc. cons. cap. 10. epit. Liv. c. III.

## CAPUT IV.

*Profectio Caesaris in ulteriorem Galliam: Helvetiorum legati ad Caesarem missi, qui peterent, ut Caesar sineveret eos per provinciam transire: Caesar denegat.*

- 7 **C**æsari cum id nuntiatum esset, eos per provinciam nostram iter **facere** conari, maturat ab urbe proficisci, et quam **maximis** itineribus potest, in Galliam ulteriorem contendit, et ad Genevam pervenit: provinciae toti, quam **maximum** potest, militum numerum imperat. Erat omnino in Gallia ulteriore legio una. Pontem, qui erat ad Genevam, **jubet** rescindi. Ubi de ejus adventu Helvetii certiores **facti** sunt, legatos ad eum mittunt nobilissimos civitatis, **cujus** legationis Numejus, et Veroductius principem locum obtinebant, qui dicerent, "sibi esse in animo, **sine** ullo maleficio iter per provinciam facere, propterea quod aliud iter haberent nullum: rogare, ut ejus **voluntate** id sibi facere liceat.", Caesar, quod memoria tenebat, <sup>21</sup> L. Cassium consulem occisum, exercitumque ejus **ab** Helvetiis pulsum, et sub jugum missum, **concedendum** non putabat: neque homines inimico animo, **data** facultate per provinciam itineris faciendi, **temperaturos** ab injuria, et maleficio existimabat: tamen ut **spatium** intercedere posset, dum milites, quos imperaverat, **convenirent**, legatis respondit, diem "se ad deliberandum sumpturum; si quid vellent, ad idus 8 Apr. **reverterentur**.", Interea ea legatione, quam secum habebat, **militibusque**, qui ex provincia convenerant, a lacu Lemano, qui in flumen Rhodanum influit, ad montem Juram, qui **finis** Sequanorum ab Helvetiis dividit, <sup>22</sup>

21 L. Cassium consulem occisum.) Vide Epit. Livii lxxv. et Oros. v. 17. et adde infra cap. 12. sect. 5. et 6. hujus libri.

22 *Millia passuum decem novem, murum.*) Situs loci evincit x., aut ix. legendum esse, quod variantes numeros conjunxit forte librarius imperi-

tus: quod etiam Cluverius Germ. A. lib. III. 4. observavit. Murum autem non trans Rhodanum, ubi plures locant; sed cis flumen, in ripa tamen, a Geneva ad Juram, quem dividit Rhodanus, deductum fuisse, Dionysius Vossius præclare demonstravit.

millia passuum decem novem, murum in altitudinem pedum xvi., fossamque perducit, eo opere perfecto, praesidia disponit, castella communit; quo facilius, si se invito transire conarentur, prohiberi possent. Ubi ea dies, quam constituerat cum legatis, venit, et legati ad eum reverterunt, negat "se more, et exemplo pop. Rom. posse iter ulli per provinciam dare; et si vim facere conentur, prohibitorium ostendit.",

## CAPUT V.

*Legati ad Dumnorigem, ut facilius imperetur iter per Sequanos: ex utraque parte obsides dati.*

**H**elvetii ea spe dejecti, navibus junctis, ratibusque compluribus factis, alii vadis Rhodani, qua minima altitudo fluminis erat, nonnunquam interdum, sæpius noctu, <sup>23</sup> si perrumpere possent, conati, operis munitione, et militum concursu, et telis repulsi, hoc conatu destiterunt. Relinquebatur una per Sequanos via, qua, Sequanis invitis, propter angustias ire non poterant. Iis cum sua sponte persuadere non possent, legatos ad Dumnorigem Aduum mittunt, ut, eo deprecatore, a Sequanis hoc impetrarent. Dumnorix gratia, et largitione apud Sequanos plurimum poterat, et Helvetiis erat amicus, quod ex ea civitate Orgetorigis filiam in matrimonium duxerat, et cupiditate regni adductus novis rebus studebat, et quam plurimas civitates suo sibi beneficio habere obstrictas volebat. Itaque rem suscipit, et a Sequanis impetrat, ut per fines suos Helvetios ire patiantur; obsidesque uti inter sese dent, perficit; Sequani, ne itinere Helvetios prohibeant, Helvetii, ut sine maleficio, et injuria transeant.

23 *Si perrumpere.*) Si est An, Græco more, *Rbellio*.

## CAPUT VI.

*Cæsar præficit T. Labienum legatum munitioni; inde in Italiam contendit, porro in Galliam ulteriorem, cuius exercitus itinere prohibetur.*

30 **C**æsari renuntiatur, Helvetiis esse in animo per agrum Sequanorum, et Æduorum iter<sup>24</sup> in Santonum fines facere, qui non longe a Tolosatium finibus absunt: quæ civitas est in provincia: id si fieret, intelligebat magno cum provinciæ periculo futurum, ut homines bellicosos, pop. Rom. inimicos, locis patentibus, maximeque frumentariis finitimos haberet. Ob eas causas ei munitioni, quam fecerat, T. Labienum legatum præfecit. Ipse in Italiam magno itinere contendit; duasque ibi legiones conscribit; et tres, quæ circum Aquilejam hiemabant, ex hibernis educit, et, quæ proximum erat iter, per Alpes in ulteriorem Galliam cum his quinque legionibus ire contendit. Ibi<sup>25</sup> Centrones, et Garoceli, et Caturiges, locis superioribus occupatis, itinere exercitum prohibere conantur. Compluribus his præliis pulsus, <sup>26</sup> ab Ocelo, quod est citerioris provinciæ extremum, in fines Vocontiorum ulterioris provinciæ die septimo pervenit: inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus in Segusianos exercitum ducit: hi sunt extra provinciam trans Rhodanum primi.

<sup>24</sup> In Santonum fines.) Santones ad Oceanum inter Garumnam, et Ligerim.

<sup>25</sup> Centrones, Garoceli, Caturiges.) Alpinae gentes, Centrones circa Darantasiam. Caturiges circa Eburodunum (nunc Embrum) fuisse, indicis proba-

tur. Vide Not. Orb. Antiqui. Garoceli incertiores, quod quidam in valle Maurienensi quaerunt.

<sup>26</sup> Ab Ocelo.) Strabo iv. p. 124. Ocelum finem terræ Cottidixit: et finis Cisalpinæ Galliæ in Alpibus fuit: vicus, an oppidum, non liquet.

## CAPUT VII.

*Æduorum ager ab Helvetiis depopulatur; Æduorum legati auxilium petunt a Cæsare, ad quem Allobroges confugiunt.*

31 **H**elvetii jam per angustias, et fines Sequanorum

suas copias transduxerant, et in Æduorum fines pervenerant, eorumque agros populabantur. Ædum cum se, suaque ab his defendere non possent, legatos ad Cæsarem mittunt rogatum auxilium: ita se omni tempore de populo Romano meritos esse, ut pene in conspectu exercitus nostri, agri vastari, liberi eorum in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint. Eodem tempore, quo Ædum, <sup>27</sup> Ambarri quoque necessarii, et consanguinei Æduorum, Cæsarem certiosem faciunt, sese, depopulatis agris, non facile ab oppidis vim hostium prohibere: item Allobroges, qui trans Rhodanum vicis, possessionesque habebant, fuga se ad Cæsarem recipiunt, et demonstrant, sibi præter agri solum, nihil esse, reliqui.

<sup>27</sup> Ambarri.) Ignoti Ambar. Ararim, et Ligerim colebant. Ædum tamen, qui inter vicini.

## CAPUT VIII.

*Describitur fluvius Arar: Cæsar eos aggreditur, qui nondum flumen transierant; ex quibus alios occidit, alii fugiunt. Helvetiæ divisio in quatuor pagos.*

**Q**uibus rebus adductus Cæsar, non expectandum sibi <sup>12</sup> statuit, dum, omnibus fortunis sociorum consumptis, in Santones Helvetii pervenirent. Flumen est <sup>28</sup> Arar, quod per fines Æduorum, et Sequanorum in Rhodanum influit, incredibili lenitate, ita ut oculis, in utram partem fluat, judicari non possit: id Helvetii ratibus, ac lintribus junctis transibant. Ubi per exploratores Cæsar certior factus est, tres jam copiarum partes Helvetios id flumen transduxisse, quartam vero partem citra flumen Ararim reliquam esse; de tertia vigilia cum legionibus tribus e castris profectus, ad eam partem pervenit, quæ nondum flumen transierat. Eos impeditos, et inopinantes aggressus, magnam partem eorum concidit: reliqui sese fugæ mandarunt, atque in proximis silvas abdidierunt. Is pagus

<sup>28</sup> Arar incredibili lenitate.) cunctabundus annis ab Emenio, Arar, nunc la Saone, tardissimo lapsus, ideoque segnis, et panegyrico Constantini cap. 18. dicitur.

appellatur Tigurinus: nam omnis civitas Helvetia<sup>29</sup> in quatuor pagos divisa est. Hic pagus unus, cum domo exisset, patrum nostrorum memoria,<sup>30</sup> L. Cassium consulem interfecerat, et ejus exercitum sub jugum miserat. Ita sive casu, sive consilio deorum immortalium, quæ pars civitatis Helvetiæ insignem calamitatem popul. Rom. intulerat, ea<sup>31</sup> princeps pœnas persolvit: qua in re Cæsar non solum publicas, sed etiam privatas injurias ultus est, quod ejus soceri L. Pisonis avum, L. Pisonem Legatum Tigurini eodem prælio, quo Cassium, interfecerant.

<sup>29</sup> In quatuor pagos. In tot præfecturas: hodie *Cantons*. Sic infra hoc libro, cap. 18. sect. 37. *pagi centum Suevorum*: et lib. iv. cap. 12. sect. 22. *pagi Morinorum* dicuntur, qui vero non videntur amplitudinem Helvetiorum pagorum adæquasse, utpote quibus præcipua, et singularis hujus vocis notio vindicatur.

<sup>30</sup> L. Cassium consulem. supra cap. 4. sect. 7.

<sup>31</sup> Princeps pœnas persolvit. Prima persolvit pœnam ea pars, antequam alios pagos, flumen jam transgressos, Cæsar aggredereetur.

## CAPUT IX.

*Pons in Arare jussu Cæsaris fit, ad quem legati Helvetiorum missi: Cæsaris responsio ad legatos: Helvetiorum mos circa obsides.*

<sup>13</sup> Hoc prælio facto, reliquas copias Helvetiorum ut consequi posset, pontem in Arare faciendum curat, atque ita exercitum transducit. Helvetii repentino ejus adventu commoti, cum id quod, ipsi diebus xx. ægerrime confecerant, ut flumen transirent, illum uno die fecisse intelligerent, legatos ad eum mittunt, cujus legationis Divico princeps fuit, qui<sup>32</sup> bello Cassiano dux Helvetiorum fuerat. Is ita cum Cæsare egit: "Si pacem populus Romanus cum Helvetiis faceret, in eam partem iturus, atque ibi futuros Helvetios, ubi eos Cæsar constitueret, remiseretur et veteris incommodi populi Romani, et pristinae

<sup>32</sup> Bello Cassiano dux fuerat. Bello, quo L. Cassius interii. Oportet autem grandævum hunc Diviconem fuisse, qui cum avo soceri Cæsaris quondam bellum gesserat.

virtutis Helvetiorum, quod improvise unum pagum adortus esset, cum ii, qui flumen transissent, suis auxilium ferre non possent, ne ob eam rem aut suæ magnopere virtuti tribueret, aut ipsos despiceret; se ita a patribus, majoribusque suis didicisse, ut magis virtute, quam dolo contenderent, aut insidiis niterentur, quare ne committeret, ut is locus, ubi constitissent, ex calamitate pop. Rom. et internecone exercitus nomen caperet, aut<sup>33</sup> memoriam proderet. "His Cæsar ita respondit: „ Eo sibi minus dubitationis dari, quod eas res, quas legati Helvetii commemorassent, memoria teneret, atque eo gravius ferre, quo minus merito populi Romani accidissent: qui, si alicujus injuriæ sibi conscius fuisset, non fuisset difficile cavere: sed eo deceptum, quod neque commissum a se intelligeret, quare timeret, neque sine causa timendum putaret. Quod si veteris contumeliæ oblivisci vellet, num etiam recentium injuriarum, quod, eo invito, iter per provinciam per vim tentassent, quod Æduos, quod Ambarros, quod Allobroges vexassent, memoriam deponere posset? quod sua victoria tam insolenter gloriarentur, quodque se tam impune tulisse injurias admirarentur, eodem pertinere.<sup>34</sup> Consuesse enim deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiore interdum res, et diuturniorem impunitatem concedere. Cum ea ita sint, tamen si obsides ab iis sibi dentur, uti ea, quæ polliceantur, facturos intelligat, et si Æduis de injuriis, quas ipsis, sociisque eorum intulerint, item si Allobrogibus satisfaciant, sese cum iis pacem esse facturum. "Divico respondit. „ Ita Helvetios a majoribus suis institutos esse, uti obsides accipere, non dare consueverint: ejus rei pop. Rom. esse testem. "Hoc responso dato, discessit. „

<sup>33</sup> Memoriam proderet. Frustra quidam lectionem sollicitant. Sic et Gellius I. 10. In antiquis annalibus memoria super libris Sybillinis hæc prodita est.

<sup>34</sup> Consuesse Deos immortales. Idem est, quod Valerius Max. I. 8. 1. dixit: *Lento gradu ad vindictam sui divinam iram procedere.*

## CAPUT X.

*Utrinque castra moventur: praelium cum Helvetiis committitur.*

15 **P**ostero die castra ex eo loco movent: idem Cæsar facit, equitatumque omnem ad numerum iv. millium, quem ex omni provincia, et Æduis, atque eorum sociis coactum habebat; præmittit, qui videant, quas in partes hostes iter faciant: qui cupidius novissimum agmen insecuti, 35 alieno loco cum equitatu Helvetiorum prælium committunt: et pauci de nostris cadunt, quo prælio sublato Helvetii, quod quingentis equitibus tantam multitudinem equitum propulerant, audacius subsistere, nonnunquam ex novissimo agmine, prælio nostros lacessere cœperunt. Cæsar suos a prælio continebat, ac satis habebat in præsentia hostem 36 rapinis, populationibusque prohibere. Ita dies circiter xv. iter fecerunt, uti inter novissimum hostium agmen, et nostrum primum non amplius quinque, aut senis millibus passuum interesset.

35 *Alieno loco.*) Iniquo, non *que.*) Sic veteres libri. Scaliger, opportuno. et sequaces *populationibus* in-

36 *Rapinis, populationibus-* terserunt.

## CAPUT XI.

*Cæsar frumentum sibi promissum ab Æduis poscit, hi dare differunt. Cæsar Æduorum principes incusat: Liscus Cæsari aperit, quod diu tacuerat: Cæsar, dimisso consilio, Liscum retinet; accusatur Dumnorigem.*

16 **I**nterim quotidie Cæsar Æduos frumentum, quod essent publice polliciti, flagitare: nam propter frigora, quod Gallia sub Septentrionibus, ut ante dictum est, posita est, non modo frumenta in agris matura non erant, sed ne pabuli quidem satis magna copia suppetebat: eo autem frumento, quod flumine Arare navibus subvexerat, propterea minus uti poterat, quod iter ab Arare Helvetii averterant, a quibus discedere volebat. Diem

ex die ducere Ædum, conferri, comportari, adessee dicere. 37 Ubi se diutius duci intellexit Cæsar, et diem instare, quo die frumentum militibus metiri oporteret; convocatis eorum principibus, quorum magnam copiam in castris habebat, in his Divitiaco, et Lisco, qui 38 summo magistratu præerant (quem Vergobretum appellant Ædum, qui creatur annuus, et vitæ, necisque in suos habet potestatem) graviter eos accusat, quod, cum neque emi, neque ex agris sumi posset, tam necesario tempore, tam propinquis hostibus, ab iis non sublevetur, præsertim cum magna ex parte, eorum precibus adductus, bellum suscepit: multo etiam gravius, quod sit destitutus, queritur. Tum demum Liscus oratione Cæsaris adductus, 17 quod antea tacuerat, proponit: "esse nonnullos, quorum auctoritas apud plebem plurimum valeat, qui privatim plus possint, quam ipsi magistratus: hos seditiosa, atque improba oratione multitudinem deterrere, ne frumentum conferant: quod præstare dicant, si jam principatum Gallie obtinere non possent, Gallorum, quam Romanorum imperia perferre: neque dubitare debeant, quin, si Helvetios superaverint Romani, una cum reliqua Gallia Æduis libertatem sint erepturi: ab iisdem nostra consilia, quæque in castris gerantur, hostibus enuntiar: hos a se coerceri non posse: quin etiam, quod necessariam rem coactus Cæsari enuntiarit, intelligere sese quanto id cum periculo fecerit, et ob eam causam, quamdiu potuerit, tacuisse."

Cæsar hac oratione Lisci Dumnorigem, Divitiaci fratrem, designari sentiebat: sed quod pluribus præsentibus eas res jactari nolebat, celeriter concilium dimittit; Liscum retinet; quarit ex solo ea, quæ in conventu dixerat: dicit liberius, atque audacius; eadem secreto ab aliis querit: reperit esse vera: "ipsum esse Dumnorigem summa audacia, magna apud plebem propter liberalitatem gratia, cupidum novarum rerum, complures annos

37 *Ubi se diutius duci.*) Pro-  
crastinari, vanis promissis tra-  
hi, et differri. solenne Cæsari fuisse, ex Ana-  
logicis, et aliis eius libri Gel-  
lius iv. 16. demonstravit.

38 *Summo magistratu præ-*  
erant.) Dandi casu, sine ac-

portoria, reliquaque omnia Æduorum vectigalia parvo pretio redempta habere: propterea quod, illo licente, contra licere audeat nemo. His rebus et suam rem familiarem auxisse, et facultates ad largiendum magnas comparasse, magnum numerum equitatus suo sumptu semper alere, et circum se habere: neque solum domi, sed etiam apud finitimas civitates largiter posse: atque hujus potentia causa matrem in Biturigibus homini illic nobilissimo, ac potentissimo collocasse; ipsum ex Helvetiis uxorem habere: sororem ex matre, et propinquas suas numerum in alias civitates collocasset: favere, et cupere Helvetiis propter eam affinitatem: odisse etiam suo nomine Cæsarem, et Romanos, quod eorum adventu potentia ejus imminuta, et Divitiacus frater in antiquum locum gratia, atque honoris sit restitutus: <sup>39</sup> si quid accidat Romanis, summam in spem regni per Helvetios obtinendi venire; imperio populi Romani non modo de regno, sed etiam de ea, quam habeat, gratia desperare. Reperiebat etiam Cæsar, inquirendo, "quod initium fugæ prælii equestris adversi paucis ante diebus a Dumnorige, atque ejus equitibus factum esset: (<sup>40</sup> nam equitatu, quem auxilio Cæsari Ædui miserant, Dumnorix præerat) eorumque fuga reliquum esse equitatum perterritum."

<sup>39</sup> Si quid accidat Romanis.) Si vincantur Romani, ἐν Φινυλία

<sup>40</sup> Nam equitatu.) Tertio casu, ut solitus Cæsar. Vide paulo ante ad c. xi. sect. 16. dicta.

## CAPUT XII.

Cæsar animadversionem in Dumnorigem curat; ad se ejus fratrem Divitiacum vocat, cujus precibus injurias ab ipsius fratre Reipubl. illatas condonat; custoditur Dumnorix.

<sup>19</sup> Quibus rebus cognitis, cum ad has suspiciones certissimæ res accederent, quod per fines Sequanorum Helvetios transduxisset; quod obsides inter eos dandos curasset; quod ea omnia non modo injussu suo, et civitatis, sed etiam inscientibus ipsis, fecisset: quod a Magistratu Æduorum accusaretur, satis esse causæ arbitratur, qua-

re in eum aut ipse animadverteret, aut civitatem animadvertere juberet. His omnibus rebus unum repugnabat, quod Divitiaci fratris summum in populum Romanum studium, summam in se voluntatem, egregiam fidem, justitiam, temperantiam cognoverat; nam, ne ejus supplicio Divitiaci animum offenderet, verebatur. Itaque prius quam quidquam conaretur, Divitiacum ad se vocari jubet; et quotidianis interpretibus remotis, per C. Valerium Procellum, principem Gallia provinciae, familiarem suum, cui summam rerum omnium fidem habebat, cum eo colloquitur: simul commonefacit, quæ ipso præsentem in concilio Gallorum de Dumnorige sunt dicta, et ostendit, quæ separatim quisque de eo apud se dixerit: petit, atque hortatur, ut sine ejus offensione animi vel ipse de eo, causa cognita, statuatur, vel civitatem statuere jubeatur.

Divitiacus multis cum lacrymis Cæsarem complexus <sup>20</sup> obsecrare cœpit, "ne quid gravius in fratrem statueret: scire se, illa esse vera: nec quemquam ex eo plus, quam se doloris capere: propterea quod, <sup>41</sup> cum ipse gratia plurimum domi, atque in reliqua Gallia, <sup>42</sup> ille minimum propter adolescentiam posset, <sup>43</sup> per se crevisset: quibus opibus, ac nervis non solum ad minuendam gratiam, sed pene ad perniciem suam uteretur, sese tamen et amore fraterno, et existimatione vulgi commoveri, quod si quid ei a Cæsare gravius accidisset, cum ipse eum locum amicitia apud eum teneret, neminem existimatorum non sua voluntate factum, qua ex re futurum, uti totius Gallia animi a se averterentur." Hæc cum pluribus verbis flens a Cæsare peteret, Cæsar ejus dextram prehendit: consolatus, rogat, finem orandi faciat: tanti ejus apud se gratiam esse ostendit, ut et reip. injuriam, et suum dolorem ejus voluntati, ac precibus condonet. Dumnorigem ad se vocat; fratrem adhibet; quæ in eo reprehendat, ostendit; quæ ipse intelligat, quæ civitas queratur, proponit: monet,

<sup>41</sup> Cum ipse gratia.) Ipse Divitiacus, major fratrum. Metaphrastes: ἐμοῦ μὲν πλεῖον ἐν τῇ ἐμῇ χάριτι καὶ παρὰ τῇ ἄλλῳ πᾶσι Γαλατίαν τῷ πρῶτον χροῖν ἰσχυράντος.

<sup>42</sup> Ille minimum.) Ille Dumnorix, frater junior.

<sup>43</sup> Per se crevisset.) Idem interpres Græcus: δι' ἑαυτοῦ τῶν μεγάλῃν δύναμιν κερταί.



ut in reliquum tempus omnes suspensiones vitet; præterita se Divitiaco fratri condonare dicit. Dumnorigi custodes ponit, ut, quæ agat, quibuscum loquatur scire possit.

## CAPUT XIII.

**T. Labienus legatus montem, sub quem hostes conserant, jussus ascendere; quo inde Cæsar contendit.**

**E**odem die ab exploratoribus certior factus, hostes sub montem condesisse, millia passuum ab ipsius castris VIII.: qualis esset natura montis, et qualis in circuitu adscensus, qui cognoscerent, misit. Renuntiatum est, facilem esse. De tertia vigilia T. Labienum 44 legatum pro prætore cum duabus legionibus, et iisdem ducibus, qui iter cognoverant, summum jugum montis ascendere jubet: quid sui consillii sit, ostendit, ipse de quarta vigilia eodem itinere, quo hostes ierant, ad eos contendit, equitatumque omnem ante mitit P. Considius, qui rei militaris peritissimus habebatur, et in exercitu L. Sillæ, et postea in M. Crassi fuerat, cum exploratoribus præmittitur.

44 Legatum propretore.) Sunt qui substituant, legatum propretore: atque ita etiam recenti editione cum Dionysii Vossii Notis legitur. Lud. autem Carrio Antiq. lect. III. 8. auctor est, in vetustissimis, et manuscriptis propretore, legi, quæ non insolens dignitas fuit, alia tamen in libera republica, alia sub Cæsaribus. Adfert nummos Metelli Pii (quos etiam Fulv.

Ursinus habet in Famil. R. p. 152.) in quorum aversa est P. CRASSUS JUNI. PRO. PR. Addit alios vir illust. Ezech. Spanhemius de Usu numism. 560. ubi distinctionem, quam diximus, dignitatis hujus pro diversis reipublicæ temporibus exposuit. Hic primus legatorum legionum est, in quem proconsul Cæsar præcipuam curarum partem transtulit.

## CAPUT XIV.

**Considius perterritus Cæsari nuntiat montem ab hostibus teneri: Cæsar aciem instruit: Labienus Cæsarem exspectat: interim hostes castra movent.**

**P**rima luce, cum summus mons a T. Labieno teneretur, ipse ab hostium castris non longius mille, et quingentis passibus abesset; neque, ut postea ex captivis comperit, aut ipsius adventus, aut Labieni cognitus esset; Considius, equo admissus, ad eum accurrit; dicit, montem, quem a Labieno occupari voluerit, ab hostibus teneri: id se a Gallicis armis, atque insignibus cognovisse. Cæsar suas copias in proximum collem subducit; aciem instruit. Labienus, ut erat ei præceptum a Cæsare, ne prælium committeret, nisi ipsius copię prope hostium castra visæ essent, ut undique uno tempore in hostes impetus fieret, monte occupato, nostros exspectabat, prælioque abstinebat. Multo denique die per exploratores cognovit, et montem a suis teneri, et Helvetios castra movisse, et Considium timore perterritum, quod non vidisse, pro viso sibi renantiassse.

## CAPUT XV.

**Cæsar hostes sequitur: postridie causa rei frumentariæ Bibracte contendit, quo cognito hostes Cæsarem insequuntur, qui acie instructa prælium committit. Hostes perfracta phalange se in vicinum montem recipiunt, qui inde Bojorum, et Tulingorum auxilio prælium redintegrant: iterum pedem referunt: tandem Cæsar castris potitur.**

**E**o die, quo consuerat, intervallo hostes sequitur, 23 et millia passuum tria ab eorum castris castra ponit. Postridie ejus diei, quod omnino biduum supererat, cum exercitui frumentum metiri oporteret; et quod a Bibracte, oppido Æduorum longe maximo, ac copiosissimo, non amplius millibus passuum XVIII. ab-

erat, rei frumentariæ prospiciendum existimavit, et iter ab Helvetiis avertit, ac Bibracte ire contendit. Ea res per fugitivos L. Æmilii, 45 decurionis equitum Gallorum, hostibus nuntiatur.

Helvetii, seu quod timore perterritos Romanos discedere a se existimarent, eo magis, quod pridie, superioribus locis occupatis, prælium non commisissent, sive eo quod re frumentaria intercludi posse confiderent, commutato consilio, atque itinere converso, nostros a novissimo agmine 24 insequi, ac lacessere coeperunt. Postquam id animadvertit, copias suas Cæsar in proximum collem subducit, equitatumque, qui sustineret hostium impetum, misit. Ipse interim in colle medio triplicem aciem instruxit legionum quatuor veteranorum, ita uti supra se in summo jugo duas legiones, quas in Gallia citeriore proxime conscripserat, et omnia auxilia collocaret, ac totum montem hominibus compleret. Interea sarcinas in unum locum conferri, et eum ab iis, qui in superiore acie constiterant, muniri jussit. Helvetii, cum omnibus suis carris secuti, impedimenta in unum locum contulerunt; ipse confertissima acie, rejecto nostro equitatu, 46 phalange facta sub primam nostram aciem 25 successerunt. Cæsar primum suo, deinde omnium 47 e conspectu 48 remotis equis, ut, æquato omnium periculo, spem fugæ tolleret; cohortatus suos, prælium commisit. Milites, e loco superiore pilis missis, facile hostium phalangem perfregerunt: ea disiecta, gladis districtis in eos impetum fecerunt. Gallis magno ad pugnam erat impedimento, quod 49 pluribus eorum scutis uno ictu pilorum transfixis,

45 *Decurionis equitum*) In turma, quæ terdenos equites habebat primi singularum decuriarum, *decuriones* dicti, Varro L. lib. 4. sect. 16.

46 *Phalange facta*.) Orosius vi. 7. harum gentium phalangem ita descripsit: *Pugna maxime gravis ex phalange Germanorum fuit, quam coacto in unum agmine, scutisque supra capita contextis, ad irruendam Romanorum aciem tui undique præstruxerunt.*

47 *E conspectu*.) Dubitant de his viri docti, et uncinis, tanquam suspecta, includunt. Anonimus tamen ex Julii Celsi Vita Cæsar's verba eadem expressit.

48 *Remotis equis*.) De hac consuetudine Cæsar's sueton. cap. 60.

49 *Pluribus eorum scutis*.) In phalange, seu testudine connexis ita, ut alio aliud ex parte tegetetur.

et colligatis, cum ferrum se inflexisset, neque evellere, neque, sinistra impedita, satis commode pugnare poterant, multi ut, diu jactato brachio, præoptarent scutum manu emittere, et nudo corpore pugnare. Tandem vulneribus defessi, et pedem referre, et, quod mons suberat circiter mille passuum, eo se recipere coeperunt. Capto monte, et succedentibus nostris, Boii, et Tulingi, qui hominum milibus circiter xv. agmen hostium claudebant, et novissimis præsidio erant, ex itinere nostros latere aperto aggressi, circumvenire, et id conspicati Helvetii, qui in montem sese receperant, rursus instare, et prælium redintegrare coeperunt: Romani conversa signa 50 bipartito intulerunt: prima, ac secunda acies, ut victis, ac submotis resisteret: tertia, ut venientes sustineret: ita, anticipati prælio, diu, atque acriter pugnatum est. Diutius cum nostrorum impetum sustinere non possent, alteri se, ut coeperant, in montem receperunt, alteri ad impedimenta, et carros suos se contulerunt: nam hoc toto prælio, cum ab hora septima ad vesperam pugnatum sit, aversum hostem videre nemo potuit: ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est: propterea quod pro vallo carros objecerant, et e loco superiore in nostros venientes tela conjiciebant, et nonnulli inter carros, rotasque 51 mataras, ac tragulas subiciebant, nostrosque vulnerabant. Diu cum esset pugnatum, impedimentis, castrisque nostri potiti sunt. Ibi Orgetorigis filia, atque unus e filiis captus est. Ex eo prælio circiter millia hominum cxxx. superfuerunt; eaque tota nocte continenter ierunt: nullam partem noctis itinere intermisso, in fines Lingonum die iv. pervenerunt: cum et propter vulnera militum, et propter sepulturam occisorum, nostri triduum morati, eos sequi non potuissent.

50 *Bipartito*.) Quidam legunt *tripartito*. Sed etiam in terpres dixi.

51 *Mataras, ac tragulas*.) Mataras, et Mataris: item Matera, et Materis, telum Gallicum. Nonius ex Sisenna: *Gallia materibus configit*. Livius lib. vii. 24. in Gallico bello: *lævo humero materi prope trajecto*. Et

Strabon. lib. iv. p. 136. de Gallorum armis *μέρις παλτρού τῆ ἐλδοῦ*, prave: paullo melius Epitome *μάκαρις*, scribe *μάταρις*. *Tragulam* autem Varro iv. 24. de LL. à *traficiendo* duxit: Festus à *trabendo*, quod infixa scuto trahat, quasi fuerit hamata.

## CAPUT XVI.

*Cæsaris literæ ad Lingones, ne Helvetios juvent: Helvetiorum legati ad Cæsarem acturi de deditio: multorum fuga ex castris, eorumque reductio: Helvetii, et alii revertuntur, unde erant profecti: Boii in partem juris Aduorum adsciscuntur: Tabulæ in castris repertæ, indicantes numerum hostium, qui domo exierant.*

**C**æsar ad Lingones literas, nuntiosque misit, ne eos frumento, neve alia re juvarent: qui si juvissent, se eodem loco illos, quo Helvetios, habiturum. Ipse triduo intermisso, cum omnibus copiis eos sequi cœpit. Helvetii, omnium rerum inopia adducti, legatos de deditio ad eum miserunt: qui cum eum in itinere convenissent, seque ad pedes projecissent, suppliciterque locuti, flentes pacem petissent, atque eos in loco, quo tum essent, suum adventum spectare jussisset, paruerunt. Eo postquam Cæsar pervenit, obsides, arma, servos, qui ad eos per fugisissent, poposcit. Dum ea conquiruntur, et conferuntur nocte intermissa, circiter hominum millia sex ejus <sup>52</sup> pagi, qui Urbigenus appellatur, sive timore perterriti, ne, armis traditis, supplicio afficerentur, sive spe salutis inducti, quod in tanta multitudine dediticiorum, suam fugam aut occultari, aut omnino ignorari posse existimarent, vigilia prima noctis, ex castris Helvetiorum egressi, ad Rhenum, finesque Germanorum contenderunt. Quod ubi Cæsar rescivit, quorum per fines ierant, his, uti conquirent, et reducerent, si sibi purgati esse velent, imperavit; reductos in hostium numero habuit; reliquos omnes, obsidibus, armis, per fugis traditis, in deditio nem accepit: Helvetios, Tulingos, Latobrigos in fines suos, unde erant profecti, reverti jussit, et quod, omnibus frugibus amissis, domi nihil erat, quo famem tolerarent, Allo-

<sup>52</sup> Pagi, qui Urbigenus. Libri Verbigenus. Etiam Metaphrastes ἐπιτὶ τῆν Φυλῆν. Quod vero Antonini Itinerarium in occidentali Helvetia Urbem op-

pidum designat, quod hodieque Orbe vocatur; etiam in Cæsare Urbigenus pagos legendum cum Cluverio censemus.

brogibus imperavit, ut his frumenti copiam facerent; ipsos oppida, vicosque, quos incenderant, restituere jussit. Id ea maxime ratione fecit, quod noluit eum locum, unde Helvetii discesserant, vacare; ne propter bonitatem agrorum Germani, qui trans Rhenum incolunt, e suis finibus in Helvetiorum fines transirent, et finitimi Galliæ provinciæ, Allobrogibusque essent. Bojos, petentibus Aëduis, quod egregia virtute erant cogniti, ut in finibus suis collocarent, concessit: quibus illi agros dederunt, eosque postea in parem juris, libertatisque conditionem, atque ipsi erant, acceperunt. In castris Helvetiorum <sup>53</sup> tabulæ repertæ sunt, <sup>29</sup> literis Græcis confectæ, et ad Cæsarem perlatae, quibus in tabulis nominatim ratio confecta erat, qui numerus domo exissent eorum, qui arma ferre possent; et item separatim pueri, senes, mulieresque. Quarum omnium rerum summa erat, capitum Helvetiorum millia cclxxii. Tulingorum millia xxxvi. Latobrigorum xiv. Rauracorum xxiii. Bojorum xxxii. ex his, qui arma ferre possent, ad millia xcii. summa omnium fuerat ad millia cccclxxviii. eorum, qui domum redierunt, censu habito, ut Cæsar imperaverat, repertus est numerus millium c. et x.

<sup>53</sup> Tabulæ literis Græcis. Characteribus Græcis, sed lingua, seu verbis Helvetiis. Gallos enim barbaros ignaros sermonis Græci fuisse, ex lib. v. sect. 48. manifestum est, ubi ideo epistolam Græce Cæsar scripsit, ne intercepta intelligeretur. Literarum autem figuram (qua-

rum antiquitus videntur usum ignorasse) sine dubio a Massiliensibus Græcis acceperunt. Adi supra lib. i. io. ubi Cæsar cum Aëduis, cultissimis Gallorum extra provinciam, per interpretem loquitur: quod non opus fuisset apud gnaros sermonis Græci.

## CAPUT XVIII.

*Galliæ legati Cæsari gratulantur, eorumque petitiones. Oratio Divitiaci Ædus: Promissio Cæsaris ad Gallos, et ejusdem legati, ad Ariovistum: hujus responsio.*

30 **B**ello Helvetiorum confecto, totius fere Galliæ legati, principes civitatum, ad Cæsarem gratulatum con-  
 31 **P**erunt: intelligere sese, tametsi pro veteribus Helvetio-  
 rum injuriis, populus Rom. ab iis pœnas bello repetisset,  
 tamen eam rem non minus ex usu terræ Galliæ, quam  
 pop. Rom. accidisse: propterea quod eo consilio, florenti-  
 ssimis rebus, domos suas Helvetii reliquissent, ut toti  
 Galliæ bellum inferrent, imperioque potirentur, locum-  
 que domicilio ex magna copia deligerent, quem ex omni  
 Gallia opportunissimum, ac fructuosissimum judicassent,  
 reliquasque civitates stipendiarias haberent. Petierunt,  
 ut sibi concilium totius Galliæ in diem certam indicere,  
 idque Cæsaris voluntate facere liceret; sese habere quas-  
 dam res, quas è communi consensu ab eo petere vellent.  
 Ea re permissa, diem concilio constituerunt, et jureju-  
 rando, ne quis enuntiaret, nisi quibus communi consi-  
 lio mandatum esset, inter se sanxerunt. Eo concilio di-  
 31 **M**isso, iidem principes civitatum, qui ante fuerant, ad  
 Cæsarem reverterunt, petieruntque, uti sibi secreto de  
 sua, omniumque salute cum eo agere liceret. Ea re im-  
 petrata, sese omnes flentes Cæsaris ad pedes proiecērunt:  
 "non minus se id contendere, et laborare, ne ea, quæ di-  
 xissent, enuntiarentur, quam uti ea, quæ vellent, impe-  
 trarent; propterea quod, si enuntiatum esset, summum  
 se in cruciatum venturos viderent.", Locutus est pro his  
 Divitiacus Ædus: "Galliæ totius factiones esse duas, ha-  
 rum alterius principatum tenere Æduos, alterius Arver-  
 nos. Hi cum tautopere <sup>54</sup> de potentatu inter se multos

<sup>54</sup> *De potentatu.* Principatu, imperio, Græc. metaphor. ἀρχή. Cave vero, insolens vocabulum existimes, quo etiam Livius xxv. 38. usus est, amulo

potentatus inimicus: et plurativo numero Lactantius lib. vi. c. 17. 10. oper istas, et bonores, et potentatus, et regna ipsa contemnet.

annos contenderent, factum esse, uti ab Arvernibus, Sequanisque Germani mercede arcesserentur: horum primo circiter millia xv. Rhenum transisse: postea quam agros, et cultum, et copias Gallorum homines feri, ac barbari adamassent, transductos plures: nunc esse in Gallia ad c. et xx. millium numerum: cum his Æduos, eorumque clientes semel, atque iterum armis contendisse; magnam calamitatem pulsos accepisse, omnem nobilitatem, omnem senarum, omnem equitatum amisisse: quibus præliis, calamitatibusque fractos, qui et sua virtute, et pop. Rom. hospitio, atque amicitia plurimum ante in Gallia potuissent, coactos esse Sequanis obsides dare nobilissimos civitatis, et jurejurando civitatem obstringere, sese neque obsides repetituros, neque auxilium a pop. Rom. imploratos, neque recusatos, quominus perpetuo sub illorum ditione, atque imperio essent: unum se esse ex omni civitate Æduorum, qui adduci non potuerit, ut jureret, aut suos liberos obsides daret: ob eam rem se ex civitate profugisse, et Romam ad senatum venisse auxilium postulatum, quod solus neque jurejurando, neque obsidibus teneretur; sed pejus victoribus Sequanis, quam Æduis victis accidisse, propterea quod <sup>55</sup> Ariovistus, rex Germanorum, in eorum finibus consedisset, tertiamque partem agri Sequani, qui esset optimus totius Galliæ, occupavisset, et nunc de altera parte tertia Sequanos decedere juberet, propterea quod, paucis mensibus ante, <sup>56</sup> Harudum millia hominum xxiv. ad eum venissent, quibus locus, ac sedes pararentur: futurum esse paucis annis, uti omnes e Galliæ finibus pellerentur, atque o-

<sup>55</sup> *Ariovistus, Rex Germanorum.* Eorum videlicet, quorum militantes in exercitu suo infra cap. 24. sect. 51. habuisse dicitur, qui erant Harudes, Marcomanni, Triboci, Vangiones, Nemeter, Sedussi, Suevoi: neque hi omnes subjecti, sed ex iis etiam auxiliares, quod de Suevia, sive Catts certum est. Vide post paulo cap. 18. sect. 37. Inde colligitur populis ad Rhenum superiorem imperasse,

sive qui inter Rhenum, Niceri confluentem, et Danubii fontes, et paulo ultra coluerunt, antequam Marcomanni a Marobuduo in Bojohemum transducerentur.

<sup>59</sup> *Harudum millia hominum xxiv.* Vicini Harudes Marcomannis inter Rhenum, et Danubium a fontibus novum: qui antequam Marcomannis in Bojohemum postea transierint, incertum est.

mnes Germani Rhenum transirent: neque enim conferendum esse Gallicum cum Germanorum agro, neque hanc consuetudinem victus cum illa comparandam. Ariovistum autem, ut semel Gallorum copias præior vicerit, quod prælium factum sit <sup>57</sup> Amagetobriæ, superbe, et crudeliter imperare, obsides nobilissimi cujusque liberos possidere, et in eos omnia exempla cruciatus edere, si qua res non ad nutum, aut ad voluntatem ejus facta sit: hominem esse barbarum, iracundum, temerarium: non posse ejus imperia diutius sustineri: nisi quid in Cæsare, populoque R. sit auxilii, omnibus Gallis idem esse faciendum, quod Helvetii fecerunt, ut domo emigrent: aliud domicilium, alias sedes, remotas a Germanis, petant, fortunamque, quæcumque accidat, experiantur: hæc si enuntiata Ariovisto sint, non dubitare, quin de omnibus obsidibus, qui apud eum sint, gravissimum supplicium sumat: Cæsarem vel auctoritate sua, atque exercitus, vel recenti victoria, vel nomine populi R. detertere posse, ne major multitudo Germanorum Rhenum transducatur, Galliamque omnem ab Ariovisti injuria posse defendere.

<sup>32</sup> "Hac oratione a Divitiaco habita, omnes, qui aderant, magno fletu auxilium a Cæsare petere cœperunt. Animadvertit Cæsar, unos ex omnibus Sequanos nihil earum rerum facere, quas cæteri facerent, sed tristes, capite demisso, terram intueri, ejus rei quæ causa esset, miratus ex ipsis quæsit. Nihil Sequani respondere, sed in eadem tristitia taciti permanere. Cum ab iis sæpius quæreret, neque ullam omnino vocem exprimere posset; idem Divitiacus Æduus respondit: „ hoc esse miserorem, et gravio rem fortunam Sequanorum, quam reliquorum, quod soli ne in occulto quidem queri, nec auxilium implorare auderent, absentisque Ariovisti crudelitatem, velut sicoram adesset, horrerent; propterea quod reliquis tantum fugæ facultas daretur; Sequanis vero, qui intra fines suos Ariovistum receperant, quorum oppida omnia in potestate ejus essent, omnes cruciatus essent perferen-

<sup>57</sup> Amagetobriæ. ) Sic et Metaphrastes scripsit. Ignotus locus a nemine præterea memo-

ratus. Videtur autem circa Æduos, aut Sequanos fuisse.

di. "His rebus cognitis, Cæsar Gallorum animos verbis confirmavit: pollicitusque est, sibi eam rem curæ futuram: magnam se habere spem, et beneficio suo, et auctoritate adductum Ariovistum, finem injuriis facturum. Hac oratione habita, consilium dimisit, et secundum ea multæ res eum hortabantur, quare sibi eam rem cogitandam, et suscipiendam putaret: in primis, quod <sup>58</sup> Æduos fratres, consanguineosque <sup>59</sup> sæpenumero ab senatu appellatos, in servitute, atque in ditione videbat Germanorum teneri, eorumque obsides esse apud Ariovistum, ac Sequanos intelligebat: quod in tanto imperio populi Rom. turpissimum sibi, et reip. esse arbitrabatur. Paulatim autem Germanos consuescere Rhenum transire, et in Galliam magnam eorum multitudinem venire, populi Rom. periculosum videbat: neque sibi homines ferros, ac barbaros temperaturos existimabat, quin, cum omnem Galliam occupassent, ut ante <sup>60</sup> Cimbrî, Teutonique fecissent, in provinciam exirent, atque inde in Italiam contenderent; præsertim cum <sup>61</sup> Sequanos a provincia postra Rhodanus divideret, quibus rebus quam maturissime occurrendum putabat. Ipse autem Ariovistus <sup>62</sup> tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpserat, ut ferendus non videretur. Quamobrem placuit ei, ut ad Ariovistum legatos mitteret, qui ab eo postularent, ut aliquem locum medium utriusque colloquio deligeret: velle sese de reipubl. et summis utriusque rebus cum eo agere. Ei legationi Ariovistus respondit, "si quid ipsi a Cæsare opus esset, sese ad eum venturum

<sup>58</sup> Æduos fratres. ) Ædii fratres Romanorum dicti propter antiquissimum fœdus. Vide Tacit. II. 25.

<sup>59</sup> Sæpenumero ab Senatu. ) Ad hæc senatus consulta provocat Eumenius Paneg. Flavianensium nomine cap. 2.

<sup>60</sup> Cimbrî, Teutonique. ) De his Vellejus II. 12. Florus III. 3. et Eutropejus v. I.

<sup>61</sup> Sequanos a Provincia. ) Circa Genève, postquam ex lacu exiit, Rhodanus Sequanos

accedit propius, Geneva autem extremum oppidum erat Allobrogum, qui gravibus bellis domiti provinciæ contributi sunt, supra cap. 3. sect. 6.

<sup>62</sup> Tantus spiritus sumpserat. ) Plurali spiritus ferociam sonant, et superbiam: ut lib. II. hujus belli, cap. 2. sect. 4. Et Nepos Dione, cap. 5. regio spiritus repressit. Cicero pro lege Manil. cap. 22. extr. animos, ac spiritus hac notione conjunxit.

esse fuisse; si quid ille a se velit, illum ad se venire oportere: præterea se neque sine exercitu in eas partes Galliae venire audere, quas Cæsar possideret, neque exercitum sine magno commeatu, atque <sup>63</sup> molimento in unum locum contrahere posse: sibi autem mirum videri, quid in sua Gallia, quam bello vicisset, aut Cæsari, aut omnino populo Rom. negotii esset.,

<sup>63</sup> Molimento. ) Ita Gabr. Fæni manuscriptus codex, Fulvio Ursino teste: plures aliquot emolumento, quod Perus Victorius Var. Lect. xxii. 10. ex gemina vocabuli significatione tuetur, quæ hoc loco non quæstus sit, sed studii, et laboris; quod ex Varronis R. R. III. 14. putat confirmari. Dionysius Vossius desperat de Varronis loco, quo operæ pretium, non difficultas indicetur. Ipse aliud

exemplum subdit ex Gellii xi. 13. quæ vis, quodve emolumentum ejus sententiæ foret. Sed quod neque hoc satis clare notionem alteram emolumenti, quæ non a mola, vel molere, sed ab emoliri sit, evincit, dum clarius exemplum proferatur. Fæno, Ciacconio, Hotmano subscribimus, qui molimentum substituunt. Saltem emolumentum legere malim, formam simplicis presse imitatus.

## CAPUT XVIII.

*Iterum ad Ariovistum Cæsaris legati cum mandatis: ejus responsio. Cæsar ad Ariovistum contendit. Nuntiatur Ariovisti profectio ad occupandum Vesontionem, quo celerrime Cæsar pervenit, ibique præsidium collocat.*

<sup>35</sup> His responsis ad Cæsarem relatis, iterum ad eum Cæsar legatos cum his mandatis mittit: "Quoniam tanto suo, populique Rom. beneficio affectus, cum in consulari suo Rex, atque amicus a senatu appellatus esset, hanc sibi, populoque Rom. gratiam referret, ut in colloquium venire invitatus gravaretur, neque de communi re dicendum sibi, et cognoscendum putaret: hæc esse, quæ ab eo postularet; primum, ne quam multitudinem hominum amplius trans Rhenum in Galliam transduceret; deinde obsides, quos haberet ab Æduis, redderet; Sequanisque permetteret, ut quos illi haberent, voluntate ejus red-

dere illis liceret; neve Æduos injuria lacesseret; neve his, sociisque eorum bellum inferret: si id ita fecisset, sibi, populoque Rom. perpetuam gratiam, atque amicitiam cum eo futuram; si non impetraret (quoniam <sup>64</sup> M. Messalla, M. Pisone Coss. senatus censuisset, uti, quicumque Galliam provinciam obtineret, quod commodo reip. facere posset, Æduos, cæterosque amicos pop. Rom. defenderet) se Æduorum injurias non neglecturum., Ad <sup>36</sup> hæc Ariovistus respondit: "Jus esse belli, ut, qui vicisset, iis, quos vicissent, quemadmodum vellent, imperarent: item populum Rom. victis non ad alterius præscriptum, sed ad suum arbitrium imperare consuesse: si ipse populo Rom. non præscriberet, quemadmodum suo jure uteretur, non oportere se a populo Rom. in suo jure impediri: Æduos sibi, quoniam belli fortunam tentassent, et armis congressi, ac superati essent, stipendiarios esse factos; magnam Cæsarem injuriam facere, qui sub adventu vetigalia sibi deteriora faceret. Æduis se obsides redditurum non esse: neque iis, neque eorum sociis injuria bellum illaturum, si in eo manerent, <sup>65</sup> quod convenisset, stipendiumque quotannis penderent: si id non fecisset, longe iis fratrum nomen populi Rom. abfuturum. Quod sibi Cæsar denuntiaret, se Æduorum injurias non neglecturum, neminem secum sine sua pernicie contendisse: cum vellet, congregeretur: intellecturum, quid invicti Germani, exercitissimi in armis, qui intra annos xiv. tentum non subissent, virtute possent., Hæc eodem tempore Cæsari mandata referebantur: et legati ab Æduis, et <sup>37</sup> Treveris veniebant: Ædúi questum, quod Harudes, qui nuper in Galliam transportati essent, fines eorum populerentur: sese ne obsidibus quidem datis pacem Ariovisti redimere potuisse: Treveri autem, <sup>66</sup> pagos centum Sue-

<sup>64</sup> M. Messalla, M. Pisone Coss.) Biennio post Ciceronis: itidemque biennio ante Cæsaris consulatum.

<sup>65</sup> Quod convenisset.) Male quidam libri, convenissent. Sic enim dicendum fuisset, in quo.

<sup>66</sup> Pagos centum Suevorum.) Milites ex singulis centum pa-

gorum delectos, nam centum omnino pagi Suevorum (sic Catos Cæsar vocat) fuerunt, e quibus quotannis singula milia armatorum educebantur, l. 4. incunte. De pagis supra dictum in Helvetia: quamquam Germanorum pagi minores videantur, quam Helvetiorum.